



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio VII. De citatione ad forum, seu tribunal competens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

recusationis specificè exprimenda sit in libello recusationis, & coram electis arbitris probanda, ad multas si fraudes cavendas. Sunt autem plures causæ ad reculandum iudicem in iure approbatæ; si est v.g. probabilis suspicio de minus recta affectione iudicis erga partem, vel de impetritia illius, si iudex cum parte litigante inimicitias gerat, aut cum parte litigante iudex etiam iudicalem aliquam controversiam habeat; si sanguine, vel etiam amicitia sit valde conjunctus parti litiganti; vel si Dominus adversarii, cum quo lis est, vel sit illius familiaris, socius, patronus, affinis, &c. vel similem controversiam cum alio in alio iudicio iudex habeat. Est autem hæc iudicis recusatio ante litem contestationem proponenda, cum sit exceptio dilatoria, nisi post litem contestationem nova causa recusationis superveniat, aut juret pars recusans, ad suam primam notitiam post litem contestationem causam illam pervenisse.

§. VI.

Quis, & qualiter de causa recusationis allegata cognoscere possit, ac debeat, & quis sit effectus recusationis?

Iudex si ut suspectus recusetur, non potest ipse in causa recusationis cognoscere (qui enim in principali causa suspectus est, multo magis talis habetur in causa accessoria) nisi notoriè & indubitatè frivola sit, sed debet causa principalis cognoscenda remitti ad Superiorem, vel alii personæ idoneæ & non suspectæ committi ex consensu partium, vel ex communi utriusque partis consensu arbitri eligi debent, qui de causa tali recusa-

Pirhing, Compend.

tionis cognoscant c. *Suspicionis* 29. *De off. & potest. jud. deleg. & c. Cum speciali* 61. *de appell.* Interim tamen per reculationem talem manet suspensa recusati iudicis jurisdictio, & in causa coram se prolata ad ulteriorem non potest procedere.

SECTIO VII.

De citatione ad forum, seu tribunal competens.

§. I.

Quid, & quotplex sit citatio, & quam ad illius substantiam requirantur?

Citatio est actus judicialis, quo is, quem in iudicio sisti oportet, iudicis mandato legitimè vocatur in iudicium, juris experiendi causâ, quæ usque adeo necessaria est ad valorem iudicii, ut actus iudicialis contra citatum celebratus regulariter nullus sit ipso iure, cum citatio ad defensionem spectet, quæ est juris naturalis; & hinc rectè etiam dicitur iudicium à citatione incipere. Dividitur autem citatio in publicam & privatam; publica fit vel per proclamationem, seu vocem præconis, per tubam, vel campanam, per edictum publicum, vel verbas Ecclesiarum, Curiarum, vel portarum Civitatis affixum, qui tamen modus citandi non semper & in omni casu permittitur. Privata citatio est, quæ fit privatim in personam citandi; & hæc duplex est, verbalis alia, quando Reus per nuntium vivâ voce coram, & in faciem in iudicium vocatur; vel saltem ad domum solitæ habitationis, ubi reperiri non potest,

Kk

test,

test, clarâ adeò voce citatur, ut vicini etiam de ea testari possint, vel quando pro conditione personæ per litteras submissas citatur. Alia realis est, quæ fit per captivitatem & apprehensionem personæ, ut ad Iudicem adducatur, quæ realis citatio in criminalibus potissimum locum habet. Alia autem citatio simplex dicitur, quæ citatum non prius contumacem facit, quam ter facta fuerit, ita tamen ut inter singula citationum edicta certum & iustum temporis intervallum, decem scilicet dies intercesserint. Alia dicitur peremptoria, quæ pro tribus distinctis habetur, si in citatione adijciatur terminus, peremptoriè, & tantum temporis continet, quantum alix tres citationes diverso tempore factæ includerent. Et demum citatio alia juris est, quomodo ipsum jus statuit tempus, intra quod se sistere quis debeat (quæ citatio, etiamsi jus terminum peremptorium non habeat, semper tamen peremptoria est) alia hominis, cum quis Iudicis mandato in jus vocatur.

Requiritur autem ad legitimam citationem primò, ut exprimat nomen & cognomen Iudicis citantis, ut citatus noscere possit, competens ille Iudex sit, vel non sit; Delegatus sit, qui una cum citatione copiam suæ delegationis transmittere debet, an Ordinarius. Secundò requiritur, ut exprimat Rei, qui citatur nomen, & cognomen, vel saltem universitas illa, quæ citatur, ut noverit citandus, quòd ad ipsum citatio pertineat. Tertio requiritur, ut contineat nomen & cognomen Actoris, ut noverit Reus non ex officio Iudicis, sed ad instantiam fieri citationem. Quarto requiritur, ut in

citatione exprimat causa, saltem innere, ob quam quis citatur, ut instruat scilicet reus, super quo conveniatur, deliberare possit, utrum litigare velit. Quintò requiritur, ut locus iudicij tribunal apponatur (nisi aliunde constet de tali loco) ut sciat scilicet citatus, ante territorij fines egrediatur Iudex, & tunc sibi locus sit, ad quem citatur. Sextò denique requiritur, ut dies certus terminus congruus comparandi in citatione exprimat, ut noverit citatus, quos dies ad quam citatur, sit iudicis &c.

§. II.

Quot, & quæ sint partes citationis?

Quilibet citatio tres partes habet. Notario diligenter actis litteris mandandas. Primò mandatum iudicis, sine quo non valet citatio. Secundò ut nuntius citationem sibi demandatam exponatur in faciem citandi, si reperiri non possit, vel ad illius domum, si aliter reperiri non possit. Tertio ut nuntius factæ citationis factæ relationem Iudici, quæ Notario in acta referri debeat, ut de citatione facta constet, vel si Iudex præsens non adsit, soli Notario, cui relationis etiam creditur, & plena fides adhibetur præsertim in civilibus.

§. III.

A quo Iudice citatio fieri debeat, & qui citari debeant, & quis sit finis, & effectus citationis?

Quilibet Iudex competens, sive Ordinarius ille sit, sive delegatus, citare potest, cum sine citatione iudicij

dictionem suam exercere non possit, ita tamen, ut qui delegatam tantum jurisdictionem habet, verbaliter tantum vel in scriptis citare possit, non autem realiter per capturam, aut per Edictum, nisi quoad Edictum sit delegatus supremi Principis, aut specialem commissionem etiam quoad capturam habeat. Et quamvis citatus privilegium ab exemptione hujus Iudicis habere possit, comparere tamen debet, & privilegium suum exhibere, ne contumax censeatur, nisi privilegium illius notorium esset, ut est privilegium Clericorum contra Laicum iudicem. Citari autem debent, & possunt omnes, quorum interest causa, quæ in iudicio agitur, sive qui ex actu aliquo, qui fit in iudicio, laedi possunt, nisi tali iudicio per se præsentem sint, aut alia aliqua causa interveniat, ob quam omitti potest citatio, uti videre est apud

Civilistas. Finis autem citationis est, ut Reus ad petitionem Actoris in iudicio compareat, & ad defensionem se reus parare possit. Effectus denique citationis sunt, primò quòd obliget citatum ad comparendum, nisi iustà causà excusetur, Secundò quòd inducat præventionem respectu illius causæ, respectu cuius citatio facta est, Tertio quòd perpetuet jurisdictionem Delegati, postquam ab hoc emanavit, etiamsi nondum ad citati notitiam pervenerit, ita ut morte Delegantis non expiret. Quarto quòd inducat vitium litigiosi, & litis pendentiam, ita ut nulla sit rei talis litigiosæ alienatio. Et quinto denique, quòd interruptat odiosam præscriptionem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum; ad quam interruptionem etiam unica, & simplex citatio sufficit.

TITVLVS III.

DE LIBELLI OBLATIONE.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Libellus, & an necessariò cuique offerendus sit?

POST legitimam citationem offertur Iudici libellus reo tradendus, ut hic sciat, & videat, quid ab ipso petatur, & an contendere velit. Est enim libellus prout hoc loco sumitur, nihil aliud, quam editio actionis futuræ litis speciem continens. Debet autem hic libellus in scripto offerri, ad multas fraudes cavendas

c. i. h. l. debet esse brevis, tantum necessaria & utilia continens; debet esse perspicuus & clarus, & idè non facile admittitur libellus alter novus, nisi propter probabile dubium altera nova petitio videatur admittenda, ad eundem fortassis finem contendens debet esse ordinatus, tria continens, Primò scilicet narrationem facti, Secundò medium concludendi sive iustam causam petendi, Tertio denique ipsam petitionem, & quamvis principaliter & primò Iudici sit offerendus

K k 2